


44/53319

C 12









49
270
Enunciaciones

DE ACQVIRENDA
vel amittenda possessione.

Ad Quas
D. F. N.

Præside

HENRICO CAMERARIO

*Philosophiæ & I. V. Doctore ac Professore
Ordinario, nec non Decano Facultatis
Iuridicæ in Acad. Rostochiensis,*

Pro Gradu Doctoris in utroq;
Iure consequendo

Respondebit

IOHANNES ORTGISE
VWestphalus.

Fiet Disputatio Die XXXI. Iulij,
In Auditorio magno, incipietq; hora VI. matutina.



Rostochij

Excudebat Stephanus Myliander.

ANNO M. D. XCIV.

DE ACQVIRENDA

VEL ANTIQVA POSSESSIONE



380149/53319(0)

HENRICH
Theologische

1082

1800

JOHANNES ORF

V. V. V.

1800

1800

1800

1800

Enuntiationum de Acquirenda
vel amittenda possessione.

I.



Osseſſio appellata eſt à ſedibus quaſi poſitio ſeſſio vel pedis illatio: quia naturaliter tenetur ab eo qui ei inſiſtit.

II.

Quæ quamvis nihil commune habet cum proprietate, dominium tamen rerum ex naturali poſſeſſione cepiſſe & ſine ea acquiri vix poſſe dicendum videtur.

III.

Eſt autem poſſeſſio κατοχή ſive detentio rei cum animo tenendi ſibiꝑ habendi, Sive, ut quidam volunt, Eſt uſus quidam rei.

IV.

Ea rectè dividitur in civilem, & naturalem. Civilis poſſeſſio definitur κατοχή ψυχῆ δεσπολαῖα h. e. animo domini detentio.

V.

Naturalis eſt ἡ τῆς πλάκῆς Φυτικῆς κατοχή ſive detentio quæ corpore ſolo conſiſtit, non iure domini animo tamen ſibi habendi.

VI.

Non igitur ſolo animo civilem, ex corpore ſolo naturalem metimur, ſed utramꝑ corpore utramꝑ animo conſiſtere aſſerimus.

VII.

Adiſciſcimus poſſeſſionem rei apprehenſione quæ fit
corpo-

corpore & animo simul, neq; per se animo, neq; per se corpore.

VIII.

Sed & animo nostro, corpore vel nostro vel etiam alieno rectè possidemus.

IX.

Vnde non incommodè quæritur, an sicut dominium rerum hereditariarum ipso iure in suum heredem transit & à morte defuncti continuatur: ita etiam possessio earundem sine corporali apprehensione transeat? id quod rectius negatur.

X.

Idemq; in feudis obtinere, ut sine apprehensione corporali eorum possessio mortuo vasallo in filium non continuetur, arbitramur.

XI.

An autem statuto vel consuetudine fieri rectè possit, ut possessio ipso iure absq; traditione in heredem transferatur, gravissimæ quæstionis est? qua in re num præstantissimi IConsulti Andrea Gail assertioni standum sit discutimus.

XII.

Ceterum possessionem apprehendimus rei de manu in manum translatione, clauium traditione, brevis manus fictione & similibus modis.

XIII.

Hinc quæsitum est, an in translatione possessionis ubiq; rem præsentem esse oporteat, & non opus esse in ficta præsentim traditione rei præsentia ratiocinabiliter cõcluditur.

XIV.

Qui tamen possessionem apprehendere vult, non necesse habet omnes glebas circumambulare, sed sufficere quam-

quamlibet partem fundi introire, & per hoc totum fundum possidebit, etiam eas partes quas non introiuit.

XV.

Itaque qui castri possessionem apprehendit nobilis, omnia castro coherentia nondum occupata etiam iurisdictionem coherentem consequetur.

XVI.

Sed nec per nos ipsos tantum, verum etiam per eos qui in potestate nostra sunt possessionem acquirere possumus.

XVII.

Quicquid igitur peculiari nomine apprehenderit filius vel seruus, id statim pater vel dominus possidet, quamuis ignoret in sua potestate filium vel seruum.

XVIII.

Per tutorem etiam vel curatorem, item per municipes & vniuersitates possessionem acquiri posse placet.

XIX.

Hoc amplius etiam per procuratorem, quam nostro nomine accepit possessionem, non etiam dominium acquiri nobis à D. Seuero & Antonino vtiliter est constitutum, licet per extraneam personam nihil nobis acquiri posse receptum sit.

XX.

Verum enim vero is per quem possidere volumus, talis esse debet, ut habeat intellectum possidendi. Infans n. & furiosus neque sibi neque alij possidere incipere possunt.

XXI.

Tutore tamen auctore pupillus possessionem recte acquirit, furiosus vero nec curatoris consensu, nec curatore auctore.

XXII.

Quinimo si furioso quem suae mentis esse existimas,

eò quod forte in conspe ctu inumbratæ quietis fuit constitutus, rem tradideris, non erit adeptus possessionem, licet tu possidere definas ut Celsus ait.

XXIII.

Sanè eorum qui possidere dicuntur non vna eademq; conditio est, alij enim iustè, alij iniustè, alij bona, alij mala fide, alij deniq; civiliter, alij naturaliter possident.

XXIV.

Et præter hos nonnulli corporaliter possidere siue tenere rem dicuntur, quos tamen in possessione aliorum magis esse, quam sibi possidere constat.

XXV.

Quicumq; enim nostro nomine est in possessione, veluti procurator, hospes, amicus qui operam suam nobis accommodat, non possidet, sed nos possidere videmur: cum aliud sit possidere, aliud alieno nomine possidere.

XXVI.

An autem plures in solidum eandem rem possidere possint, ita vt unus iustè, alter iniustè, vel vnus civiliter, alter naturaliter possideat, controuersum fuit: de quo videbimus.

XXVII.

Plurimis tamen ex causis possidere eandem rem nos posse nihil impedit, quamuis dominium non potest nisi ex vna causa contingere.

XXVIII.

Cæterum res corporales tantum possideri possunt, tam mobiles seseq; mouentes quam immobiles. Incorporales propriè non possidentur sed possideri intelliguntur: adeoq; harum quasi possessio est,

XXXVII.

Possessionem igitur acquisitam non corpore & animo solum

solum, verumetiam solo animo retinere possumus, ne per singula rerum momenta rebus nostris inhære necesse sit: quod fieri non poterat.

XXX.

Effectus autem & utilitates possessionis multæ sunt: unde vulgatum illud, Gaudent possidentes, merito increbuit.

XXXI.

Cum enim obscura sunt tam petitoris quàm possessoris iura, contra petitorem pro possessore, etiamsi eius res non sit, iudicari solet.

XXXII.

Tamdiu etenim possessor pro domino habetur, quam diu contrarium liquidò probatum non fuerit. Et ideo probationis oneri non succumbit, nec titulum possessionis docere cogitur.

XXXIII.

Quinetiam bonæ fidei possessor fructus perceptos pro cultura & cura lucratur: & tandem diu possidendo dominium rei iure Quiritium per usucapionem acquirit.

XXXIV.

Quemadmodum autem nulla Possessio acquiri nisi animo & corpore potest, ita nulla amittitur, nisi in quantum in contrarium actum est.

XXXV.

Sed etsi in fundo sis, & tamen nolis eum possidere, proptinus amittes possessionem. Igitur amitti solo animo possessio potest.

XXXVI.

Si tamen vi de possessione deiectus fueris, perinde haberi debet (inquit Vlpianus) ac si possideres, cum interdicto de vi recuperandæ possessionis facultatem habeas.

Verùm

FRSIE UNIVERSITÄT
BERLIN
UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK

XXXVII.

Verum an deiecto interdictum prohibitorium vi possidetis, comperat, valde dubitatur, & quamvis communis interpretum schola id affirmet, nos tamen IConsultorum responsis istam opinionem vix convenire putamus.

XXXVIII.

Sed è contra interdicto, hoc etiam cum qui vi deiecit, & iniustum possessorem contra alium, non contra eum à quo possidet, defendi dubium non est.

XXXIX.

Qualiscumq; enim possessor, hoc ipso quod possessor est, plus iuris habet, quam ille qui non possidet.

XXXX.

Deniq; amittitur possessio interitu & mutatione rei, morte possidentis, alijsq; modis.



380/44/53319(0)

X13<4453319000013

